



The Holy See

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **RIVIANGULANENSIS-LABRADORENSIS*** In Canada constituitur dioecesis

Riviangulanensis-Labradorensis appellanda. Evangelica diligentia quacum munus Successoris Petri unoquoque die explere conamur, in praesens Nos impellit ut singularem attentionem ad Ecclesiam quae est in Canada vertamus. Fidelium istius Nationis spiritale iter vario modo iuvantes, de quarundam dioecesium unione deque nominis mutatione cogitavimus. Idcirco plenitudine Apostolicae Nostrae potestatis, de consilio Congregationis pro Episcopis et Congregationis pro Gentium Evangelizatione, audita etiam Conferentia Episcoporum Canadae et praehabito favorabili voto Venerabilis Fratris Aloisii Ventura, Archiepiscopi titularis Equiliensis et in Canada Apostolici Nuntii, a dioecesi Labradorpolitana Scheffervillensi integrum distrahimus territorium municipiorum vulgo dictorum « Black Tickle », « Churchill Falls », « Happy Valley-Goos Bay », « Labrador City », « Natuashish », « Sheshatshiu », « Wabush » et « West St. Modeste » idque dioecesi Sancti Georgii Terrae Novae assignamus quae posthac novo nomine *Riviangulanensi-Labradorensi* appellabitur. Novae ecclesialis communitatis sedem in urbe v. d. « Corner Brooke » statuimus templumque ibidem exstans Sanctissimo Salvatori et Immaculae Virgini Mariae dicatum, gradum servabit templi Cathedralis, cum suo Capitulo cathedrali quod unicum habebitur. Dioecesim Riviangulanensem-Labradorensis iurisdictioni Congregationis pro Episcopis subicimus. Cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Novae ecclesiasticae circumscriptionis regimini praeesse perget Venerabilis Frater Duglasius Crosby, O.M.I., Episcopus Labradorpolitanus Scheffervillensis et hactenus Sancti Georgii Terrae Novae, cuius erit ut inita provisio, recte intellecta quoad veram suam significationem, ab omnibus sereno animo ac prompte accipiatur. Ad haec tandem explenda, quae per has Litteras statuimus, iam memoratum Venerabilem Fratrem Aloisium Ventura deputamus vel, ipso a sede absente, negotiorum Sanctae Sedis in Canada gestorem, necessarias et opportunas iisdem tribuentes facultates etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis authenticum exemplar actus expletæ executionis remittendi. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die primo et tricesimo mensis Maii, anno Domini bismillesimo septimo, Pontificatus Nostris tertio.*

THARCISIUS card. BERTONE
Secretarius Status

IOANNES BAPTISTA card. RE
Congr. pro Episcopis Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Emmanuel Fernandez, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. XCIX (2007), n. 9, pp. 782-783 © Copyright 2007 - Libreria Editrice Vaticana

©Copyright - Libreria Editrice Vaticana